

Naves chinenses multos pisces, insecta et siccas plantas pro me adduxêre, sed merces istæ Gothoburgi hærent, nondum mihi traditæ sunt, expecto has quotidie.

Actis nostris Upsaliensibus quæ nunc sudant inserui Coldenii characteres plantarum Coldenhamensium in Noveboraco Americæ conscriptos,* qui curiosi sunt et tuis acutissimis oculis forte digni.

Nova litteraria nobis attulêre quod Museum Horti Regii Parisini † prodibit prope diem in 4 voluminibus quarto; avidissime expecto hunc librum, qui procul dubio habebit multa curiosissima.

Misisti ad me præcedente vere spicam, per Suecum qui erat Parisiis, sed absque foliis, absque nomine; habuit ni fallor stamina multa et pistilla 2; quæso dicas mihi quænam sit planta.‡

Annon vidisti flores Bahobab; egregie crescit apud nos ex seminibus quæ olim misisti, sed florere recusat, miror admodum cujus sit generis.

selquist Iler Palastinam, aller Resa til Heliga Landet förrättad ifrån år 1749 til 1752. Stockh. 1757. Versiones hujus extant Germanica, Gallica, Anglica.

* *Planta Coldenhamiæ in Provinciâ Noveboracensi Americæ sponte nascentes, quas ad Methodum cl. Linnæi Sexualem observavit et descripsit CADWALLADER COLDEN* (in Act. Acad. Reg. Scient. Upsal. 1749 et 1751). — Originem hujus opusculi narrat sequens præfatiuncula: “*Illustris auctor Americam adiit ante 40 annos, non superficiali Botanices cognitione imbutus, nihilominus latuere ipsi plantæ in novo orbe crescentes, quas nullâ ratione ad genera et species amandare potuit; hinc seposuit Botanices sacra per annos triginta, dum in manus ejus incidunt opera cl. Linnæi botanica, secundum principia cujus incepit plantas feliciter et facile examinare atque detegere, et ad geminas familias reducere; hac ratione plantarum Coldenhamensium collectio nata est. Plantas sic graphice delineatas misit illustris auctor ad cl. J. Fr. Gronovium, et hic ad Linnæum nostrum, qui demum ab auctore obtinuit veniam has publici juris faciendi.*”

Ipsi manuscriptum possidemus, herbariolo Noveboracensi a Coldenio misso junctum, quod supplementum operis præcedentis videatur, cum hoc ad numerum 237 desinat, ad 240 nostrum incipiat. Subscriptio (*To Dr Gronovius, Leiden.*) indicare videtur similiter destinatum fuisse ac partes a Linnæo vulgatas, quamvis ineditum remanserit. Sed, quod mirum, in observationibus quæ, Anglice inque modum epistolæ scriptæ, descriptiones Latinas botanicas sequuntur et manuscriptum terminant, judicium fertur mite quidem sed tamen libere et recte censorium de Linnæi quibusdam opinionibus (v. g. Floram Americanam ab Europæâ omnino diversam nec species communes inter ipsas admittit Colden), generibus et toto etiam systemate utpote, cæterorum instar, naturæ repugnante, ita ut his verbis desinat: “*From what I have now wrote, you will see the reason I have to prefer the method of reducing the plants into certain orders [ordines] rather than to a general system, as I took the liberty to write to you in my last, because I believe by this method we will not so easily fall into mistakes of dividing and confounding what should be joined or separated, as we are tempted to do for the sake of a favourite system.*”

† Sub quo titulo designatur magnum opus (*Histoire Naturelle de Buffon*), cui in primâ editione subjungebatur *avec la Description du Cabinet du Roi*. Tria volumina anno 1749 prodire; quartum tantum 1753.

‡ Vide infra, not. * ad p. 216 et p. 220.